

Ano

Y VIII

Catalá

*Iesu Maria cum B. Benedicto, & Francisco.*

**PRO**  
**IOA CHIMO**  
**VALLSET CASA-**  
**DEMUNT.**  
**CONTRA**  
**MANVMISSORES**  
**TESTAMENTI DOMINÆ**  
**AGNETIS VALLS, ET CASADEMVNT.**



N testamento Agnetis valls, & Casademunt a<sup>cto</sup> penes Paulum Passoles Nott. Pub. Barcinonæ die 15.Iulij 1650. In quo scriptus est hæres Ioachimus Valls & Casademunt nepos testatricis & eius descendentes legitimi & naturales quibus sine liberis descenditibus certæ, & determinatæ causæ piæ sunt substitutæ legitur clausula tenoris sequentis. *Y per quāt yo estichplenamēt satisfeta que les coses en aquest meu testament contengudes son disposades a madura, y molt consultada de libe-*

liberatio, y ser aquesta la vltima voluntat mia, y no altre per des-  
carrech de ma conciencia à honra de Deu Nostre Senyor, y repos de  
la mia anima etement, que en lo eſdeuenidor, axis per respectes, com per  
contemplacions de algunes personnes ( lo que poria succehir ) no fes al-  
gun altre testament, codicil, o altre specie de vltima voluntat, lo que  
faria mes per dits respectes, o contemplacions que de bona voluntat  
vull perço, y expressament man que lo present meu testament sie va-  
lido y ferm en tot temps, y les coses en aquell contingudes apres segui-  
da ma mort posadas en executio al peu de la lletra; sino es que en al-  
gun altre testament que yo despres de aquest fes, o firmas se trobassen  
scritas, o continuadas las paraulas ab la forma seguent. Benauenturats  
aqueells que moran en gracia del Senyor, y possebeixen la sancta Glo-  
ria, les quals paraulas vull sien scrites y continuadas com assi està es-  
crit. Tradito dicto testamento Notario recuperauit illud dicta  
testatrix ad effectum ut aliqua adderet, sicque apertum fuit, &  
in posse dictæ testaticis remansit, mortuaque illa super arca  
fuit repertum. Apparet quoque aliud testamentū in posse Fran-  
cici Reuerter Not. pub. Barcinonæ factum 5. Octobris 1653. in  
quo hæredem instituit eius animam & certas pias causas ad  
libitum manumissorum cum clausula derogatoria quæ sic fe-  
habet. Reuocant, cassant, y annullat ab lo present meu testament tots, y  
qualsieuols altres testaments per misfits en poder de qualsieuols Nota-  
ris, Rectors, y Vicaris, encaraque en aquells y agues qualsieuols para-  
ulas derogatorias, de les quals sen agues de fer expressa mencio; perquants  
de qualsieuols altres testaments, y vltimes voluntats per mi fins lo die  
present fets, y fetes, y de tots y qualsieuols paraules derogatorias per mi  
en aquells y aquellas apposades, yo ab lo present meu testament mepe-  
nit, è vull lo present meu testament a tots altres vltimes voluntats  
mies totalmēt preualer, &c. Dubitatur modo quænam dispositio  
sustineatur, in quo consistit tota difficultas causæ, & claritatis  
gratia diuidimus discursum in tres partes. Primo dubitatur  
an primum testamentum in nostro casu reuocetur per secun-  
dum habentem clausulam prædictam derogatoriæ. Secundo  
an sufficiat clausula secundi testamenti derogatoria instituta  
causa pia. Tertio an primum testamentum mereatur nomen  
tes-

testamenti sic ut possimus dicere esse in concursu duorum testamētorum.

Ad primum dubitari non potest licitum esse ponere clausulam derogatoriam in futurum, prout posita est in nostro casu, ut omnes doctores concordant & tradit Fontanel. *de pactis claus. 4. glos. 2. 1. p. 1. n. 59.* Hæc enim clausula ad futura testamenta facit nos certos de defœctu voluntatis testatricis in sequenti dispositione, & de consensu deliberato in priori ut probatur communiter *ex l. si mihi & ubi in fine ff. de leg. 1.* Ibi vnde dicendum est priorem durare & posteriorem non valere, tradunt Mantica *de conjecturis r. vlt. volunt. lib. 1. 2. tit. 8. a. n. 2. &* Menno. *de præsump. lib. 4. præsump. 166. per totam Couar. in rub. de testamen- tis 2. p. n. 19.* & præomnibus semper pro hac causa videndus Franciscus Cyriac. Niger *controvers. 360. num. 45. cum sequentibus.*

Solummodo difficultas versatur inter DD. quænam clausula derogatoria requiratur in secundo testamento an sufficiat generalis, an specialis, an requiratur indiuidua, in qua quæstio ne in præsenti casu dicendum est requiri indiuiduam.

Primo, ex doctrina Iulij Clari, *lib. 3. sententiarum §. testamentū q. 99. num. 5. vers.* Nihilominus vbi distinguendo materiam dicit, quod aut clausula derogatoria in primo testamento inserta erat simpliciter concepta puta si fecero aliud testamentum non illud valere, & tunc sufficit clausula derogatoria specialis testamenti, aut dicta clausula derogatoria habet insertam speciale formam prout in nostro casu, & tunc debeat fieri mentio ipsius clausulæ derogatoriæ, quæ distinctio sic approbatur per dictum Clarum: distinctio tamē per me posita iudicio meo lapit magnam æquitatem & credo, quod Iudex, qui illam queretur non erraret.

Secundo quia etsi communiter doctores concordent speciale derogatoriam secundi testamenti sufficere prout vide re est apud dictos Mantica qui supra n. 7, *ex l. si quis in principio ff. de leg. 3. &* Marta *p. 4. q. 4. artic. 7. n. 14. de successione ligati cū mul tis per Cancer r. var. 1. cap. 4. nn. 11.* Tamen difficultas est quando specialis clausula derogatoria dicatur volunt enī omnes pre dicti

dicti quod fiat mentio vel Notarij primi testamenti in quo est clausula derogatoria in futurum vel mensis, & anni illius testamenti, aut saltem ita debet declarari voluntas derogatoria, ut intellectus non laboret in intelligendo mentem illius, sed ex ipsis verbis pateat, quod nulla sit dubitatio voluisse primum reuocare, ut ad verbum inquit, Bald. *in auctent.* Hoc inter liberos *C. de testament.* Natta *conf. 53 i. nro. 39.* & in fortioribus terminis Cyriacus *d. controvers. 360. nro. 49. qui num. 82.* ponit clausulam reuocatoriam secundi de quo disceptabatur, & pro validitate primi refert declaratum in fine. Vnde cum in nostro casu clausula reuocatoria, quæ est in secundo non faciat mentionem primi nec Notarij, nec mensis & anni habita illius testamenti notitia, quæ legitimè probata est in processu concluditur clausulam illam non posse iudicari specialem & derogatoriam primæ dispositionis.

Tertio, irrefragabiliter consideratur stylum notariorū Barchinonensium esse ponere clausulam derogatoriam specialem nec unquam generali sunt contenti adiiciunt enim semper illa verba. *Encara que en aquells hi agues qual se uols parauas derogatorias de las quals sen agues de fer expressa mentio,* prout patet ex primo testamento si legitur clausula. *Reuocant, casant, &c.* & ex pluribus testamentis occulariter potest ostendi. Vnde non potest hæc reuocatio dici specialis, nec sufficit ad tollendam vim clausulæ derogatoriaæ in futurum positæ. Aliqua enim magis specialitas debet esse ad tollendum testamentū in quo est clausula derogatoria in futurum ab eo in quo non legitur. Vnde punctim eleganter notat Cancer *videndus p. 1. cap. 4. n. 18. Vers.* Vnum tamen est. Ex Socino, Marcabruno, & alijs, *quod si clausula derogatoriaæ specialis posita in posteriori testamento soleat ex conuertridine notariorum opponi indistincte non tollit protestationem factam in priori testamento, quæ derogat subsequenti testamento,* & iuxta hanc doctrinam fuit declaratum referente Hieronymo Astor in illa causa de qua meminit, Cancer *i. var. cap. 4. num. 12. in fine,* quæ est elegans ad hoc institutum.

Nec obstat si dicatur quod sumus in testamento mulieris,  
& quod

& quod in illo sufficit derogatoria generalis in secundo prout in muliere, rustico, & minore concludunt Clarus d. q. 99. & eius additionator Baiardus: Quia respondetur quod clausulae derogatoria in futurum non sunt de stylo Notarij, sed censentur apposita de voluntate testatoris, & licet idiota, vel mulier ignorent vim arum clausularum non est inconueniens credere, quod consuluerit peritiores, vel etiam requisuerit notarium, ut apponenter talem cautelam prout terminanter & in specie considerant, Menoch. conf. 170. num. 22. & 23. Bursatus conf. 307. n. 137. & 138. Riminaldus conf. 808. n. 122. & is citatis Cyriacus d. controv. 360. nu. 37. & an. 102. ver. Ad sextum argumentum qui ita decisum in fine refert, & multum facit quod testamentum est scriptum lingua vulgari vnde audiendo eius vulgarem expositionem satis intellexit testatrix virtutem dictae clausulae derogatoria in futurum ut ponderat. Hypolitus Riminaldus d. conf. 808. nu. 122. & Cyriacus d. controv. 360. n. 106. maximè in nostro casu ubi leguntur verba, *madura y mole consultada deliberacio*, & in dicto testamento reperiuntur verba illa *per amor de Deo y ab intuit de pietat* scripta manu Alexi Tristany V.I. D. ut ipse fatetur in suis responsionibus personalibus super undecimo articulo, ex quo constat peritum consuluisse per quem potuit notificari abunde de qualitate, & valore dictae clausulae derogatoria in futurum.

Ex hucusque dictis licet inferre quod per secundum testamentum non fuit reuocata dispositio prima facta per nostram testatricem quia clausula derogatoria, quæ in primo testamento continetur facit ut posterior voluntas testatricis deesse videatur, *l si quis, in principio, l si mihi 12. §. ultimo, ff. de legat. 1. Cácer var. 1. cap. 4. nu. 11.* arguit enim lex fictam & simulatam esse posteriorem dispositionem & facta pro quadam satisfactione inani institutorum in eo ut ex pluribus notat Cyriacus d. controv. 360. nu. 47. qui nu. 65. afferit quod lex vigore clausulae derogatoria in futurum presumit testatricem non penitus esse licet apparenter fecerit aliam dispositionem, & Simon de Pratis de interpretat. vle. volunt. lib. 4. interpret. 3. dub. 2. sub n. 69. inquit

per secundum testamentum non probari voluntatem testatoris contrariam protestationi, nec priori testamento, & quod in hoc secundo testamento deficiat voluntas reuocandi primū ex sequentibus pariter probatur.

Primo quia hæc clausula derogatoria in futuram solet apponi (prout fuit apposita in nostro casu) à testatoribus, qui dubitant à suis consanguineis blanditijs, vel aliter induci ad eos instituendos, quibus & si apertè contradicere nolunt in effectu non intendunt eos habere suam hæreditatem, vnde ut possint apparenter ei satisfacere præmittunt protestationem declaratoriam voluntatis, vt notat Cyriacus *d. controversi. 360. nn. 47.* vnde hæc secunda, & posterior voluntas debet esse purgata ab omni suspicione, & vt dicit Faber nulla suggestionis suspicio probabilis esse debet quæ aliundè capi possit quam ex clausula derogatoria: suspicio enim quantulamcumque a posteriori testamento habesse necesse est vt tradit subtilis vir *in Cod. li. 4. tit. 5. deffin. 14. in fine*, & merito cum lex regulariter iam præsumat secundum testamentum factum fuisse ad suggestionem Mantica *d. lib. 12. tit. 8. sub. num. 3. et 4. Riminaldus conf. 278. nn. 12. Cancer d. cap. 4. num. 14.* Vnde quælibet coniectura, quæ ultra clausulam derogatoriam in secundo testamento reperiatur multum facit vacillare voluntatem testatrixis.

In nostro autem casu multæ coniecturæ sunt ultra clausulam derogatoriam & signanter quod ipsa testatrix secundum fecit testamentum suggestione Ioannis Ros præsbyteri, qui pro constanti dedit testatrixi quod Ioachimus Valls hæres scriptus in primo testamento deceperat, pro ut optimè probat testes per dictum Valls ministrati super decimo septimo articulo, qui deponunt tum de auditu à dicto Ros, tum de dicto ipsius testatrixis, & quod hoc credidit ipsa testatrix apertè cōvincitur tum ex dictis testibus tum ex secundo testamento, ibi *los deutes del quondam senyor marit meu fils y nets meus sien pagats.* Quæ verba *nets meus* in dicto Ioachimo Valls verificantur tantum cum nullos alios neptos habuerit & sic pro certo habuit ex dicto dicti Ros mortuum esse dictum Ioachimū. Causa au-

15

sa autem suggestionis fuit ut lucraretur dictus Ros legatum mili librarum in secundo testamento ei reliquum, quod non habebat in primo ex quo dicendum est fuisse illius suggestione factum secundum testamentum.

Plus dicimus & est quod clausula derogatoria prioris testamenti fuit scripta in odium dicti Ros, vel Magdalena Flamer de hac enim vti propinqua poterat timere testatrix ne instigaretur, aut subornaretur ad faciendum secundum testamentum de dicto autem Ioanne Ros plus poterat timere quia cum omnia eius negotia gereret recte suspicabatur ne induceret testatricem vt mutaret testamentum, & sibi aliquid daret quæsito titulo compensationis seruitiorum: quod timuit testatrix probauit euentus legitur enim legatum factum dicto Ioanni Ros mille librarum sub hac forma: *Item deix, y llego al dia mossen Joan Ros prenere marmessor meu per los molts serueys he rebuts de ell ab lo spay de molts anys que ha estat en ma casa beneficiant ma hazienda, y altrament mil liures Barcelonesas.* Legitur & pariter legatum dictæ Mariæ Magdalena Flamer quingentum librarum ad suas voluntates, & quidem pure cum tantum conditionaliter in primo testamento ei esset reliquum. Ex quibus, & ex dicta clausula ita concepta secundum modum prædictum clarè colligitur non ex voluntate testatricis sed gratia blandie dicti Ros fuisse secundum testamentum mortis quæsito colore ordinatum, & sic nullum esse vt optime declarauit Senatus in causa de qua Cancer *qui sup. nu. 12. prout originaliter vidimus & eleganter dicit Faber d. defi. 14. in fine ibi ea maximè facti circumstantia concurrente de qua diximus vt posterioribus tabulis institutus is reperiatur cuius odio ne institui postea utiliter possit adieceret testator clausulam derogatoriā in prioribus quod & ipse Faber *tradit definit.* 13. Cancer *d. cap. 4. nu. 13.* Dificile enim est vt ad hereditatem ex testamento is admitti debeat de quo excludendo testator cogitauit, *l. 2. § si consulto. l. si ita. 8. § is autem. l. qui ex liberis 11. §. ultim ff. de bonor. posses. secundum tabulas & in hoc sat est timor future coactionis ut dicit Faber d. definit. 13.**

Altera etiam coniectura est quod secundum testamentum fuit factum presente dicto Ioanne Ros ut deponit Franciscus Reuerter not. qui illud recipit super articulo quinto & solicitude dicti Ioannis Ros fuit primum testamentum adspicatum domi dictae testatrix & ei traditum presente semper dicto Ioanne Ros qui publicauit fuisse omnino laseratum & ruptum dictum testamentum prout deponit Hyacintus Borràs not. pub. Barcinonę super tertio & sexto articulo & remanent plura ex his probata ex responsionibus personalibus dicti Ros super tertio, quarto, & quinto, quae omnes circumstantiae presumunt potius ex suggestione dicti Ros quam ex voluntate dictae testatrix fuisse factum secundum testamentum ut ponderant Fab. d. disfin. 13. Cancer d. cap. 4. num. 13. & fuit de mente Senatus in supra citata causa.

Tertia coniectura sit quia non potuit testatrix obliuissi prius clausulae derogatoria cum illa fuerit cum toto testamento ei lecta ut deponit dictus Borràs super primum, & fuit testata praesente Alexio Tristany V.I.D. Vnde dicendum est de consilio sapientis testatam fuisse, cumque medium iuridicum quo & primum testamentum sustineretur, & secundum non valeret simulque satisfaceret testatrix instigationibus tam dictae Flaquer quam dicti Ros esset non facere mentionem de prima clausula derogatoria antecedenti omisit eam testatrix, & omittendo eam testando coram Iuris Doctore qui eius vim optime sciebat ut tam magnus aduocatus dicendum est consulto eam omissam esse ut & tunc gratificaretur instigantibus & eis dedisse arundinam vacuam in posterum appareret, pro ut in simili dicit Cyriacus d. controv. 360. n. 47. essetque hoc modo secundum testamentum velut cimbalum tinnies dans sine mente sonum, ut similia testamenta appellat Natta conf. 639. sub. n. 3. et in auclent. inter liberos n. 23. C. de testament. Quae omnia indubitanter procedunt iuncta dilectione testatrix erga dictum Valls de qua infra dicemus.

Nec obstat si dicatur dictam testatrix habuisse animu mutandae voluntatis quia reuera superuenit causa, qua eius animus

16

nimus turbaretur & sic nec opus fuisse clausulæ speciali quia  
ex communi sententia si post factum testamentum cum clau-  
sula derogatoria inciderit noua causa mutandi testamentum  
illud per posterius intelligitur reuocatum quamvis clausulæ  
derogatoriæ nulla fiat mentio specialis ut communiter notant  
doctores, qui de hoc tractant signanter, Mantica dicto lib. 12. tit.  
8. nu. 17. Mennoch. d. præsump. 166. n. 18. cum aliis per Cancer d. c.  
4. nu. 17. causa autē concipitur ab aduersantibus dicendo, quod  
Ioachimus Valls de mensē Septembris 1653. transmigravit ad  
hostes & sic quod legitimè fuit conturbatus animus testatricis  
ut mutaret testamentum.

Cæterum huic obiectioni multipliciter respōdetur, & qui-  
dem primo quod dicta transgressio ad hostes non fuit causa  
mutandæ voluntatis, nec dato casu quo posset esse sufficiens  
ad perturbandum animum perturbavit reuera animum nostræ  
testatricis. Videmus enim in processu causam nouæ volunta-  
tis expressam, ex testibus enim constat illam mutasse suasioni-  
bus Ioannis Ros dicentis dictum Ioachimum Valls esse mor-  
tuum ob quæ secundam voluntatem fecisse deponunt testes,  
& sanè est vna ex causis legitimis mutandæ voluntatis si post  
primum testamentum decedat filius hæres in eo institutus cu-  
ius contemplatione fecerat primum testamentum cum clau-  
sula derogatoria in futurum ut notant Socin. iunior conf. 124.  
nu. 54. li. 1. Mennoch. d. præsump. 166. n. 38. vers. Potest etiam, Don  
Franciscus de Barri de successori testati. & intestati lib. 10. tit. 1. nu. 18.  
vers. nona. Circa finem.

Quod autem nostra testatrix non remanserit lœsa nec co-  
turbata ex transgressione ad hostes sed credens mortuum esse  
disposuisset probatur tum ex testibus ministratis tum ex secun-  
do testamento ubi legitur quod soluantur debita *del die quondam*  
*senior marit meu, fills, y nets meus*, quæ verba cum tantum in dicto  
Ioachimo valls possent verificari sequitur dicendum quod  
ipsa creditit illum mortuum, & quod mortuum etiam dilexit  
dum voluit obligationes illius satisfieri suposita enim dilectio-  
ne cuius si neptem viuum credidisset potius fiducialiter dispo-  
suisset

suisset quam ab eo hæreditatem adimeret. Additur his quod in primo testamento nedum vocatur hæres dictus Ioachimus, sed in infinitum eius descendentes legitimos, & naturales, qui iudicantur contemplati, & respectu istorum nulla poterat ad esse causa in testatrice mutandi voluntatem nisi eorum impossibilem existentiam ob publicatam Ioachimi mortem contemplaret.

Vnde cum habeamus causam mutandæ voluntatis quæ licet non sit expressa à testatrice probata tamen est & rumor mortis Ioachimi falsus fuerit, hæc sufficiunt ut dicamus testamento secundum tanquam ex falsa causa factum & falso rumore ordinatum nullum esse, & abesse prorsus ab illo voluntatem testandi, licet falsa causa in eo expressa nō fuerit, sic probat optimus textus in l. cum mater 28. ff. de inoficio testamēto, ibi, cum mater militem filium falso audisset accessisse et testamento hæredes alios instruisset Diuus Adrianus decreuit hæreditatem ad filium pertinere. Quod & eleganter docuit consultus in perdifficili, l. ultima, ff. de hæredib. instruend. perquæ iura ita concludunt Cæfalus conf. 458. n. 1. Manica de conie et lib. 6. tit. 14. num. 11. Gomez var. 1. cap. 5. num. 24. D. Franciscus de Barri qui supra lib. 10. tit. 1. num. 13. Gratian. discep. forens. cap. 558. num. 28. qui dicit nūquam reuocationem primi testamenti aliquid operari quando secundum continet causam, quæ non verificatur aut quæ est erronea seu falsa. Omnium melius, Surd. conf. 373. lib. 1. a num. 19. quin. 41. probat non esse necessarium probare causam esse expressā in testamento maximè cum ex ore ipsius testatoris probetur causa quæ illum mouit pro ut in nostro casu deponunt testes signanter de dicto testatricis & de expressione causæ Isabel Domenjona super decimo septimo articulo, sperāça Garriga, Reverendus Gabriel Quadrauedal præsbyter de visu deponens, Michael Domingo testis secundi testamenti, qui omnes depo nunt de causa ob quam reuocauit testamentum vnde cum certi simus de una causa non est curandum de alijs tunc enim qui dicit alias esse posse tenetur eas probare & cum hoc difficilis sit probationis cum consistat in animo standum est dicto testatricis

13

ta tricis etiam si expressum non sit in secundo testamento vt  
mirabiliter discurrit, *Surd. d. conf. 373. an. 41. ad finem.*

Ex prædictis colligitur quod occasione falsi rumoris moris  
Ioachimi, suggestionum Ioannis Ros, præsentia illius tem-  
pore conditi secundi testamenti, lucri mille librarum ex eo  
illi resultantis in certi omnino simus de voluntate testatricis  
imo hæc omnia illam abesse faciunt, certi autem sumus de  
prima voluntate vti tam pensatè disposita concludendum  
ergo est pro hac voluntate tam deliberate, & consultè nō ve-  
ro pro ultima tam incerta, & dubia vt terminanter arguunt,  
*Socinus conf. 163. sub. nu. 4. & Cyriacus Niger d. controv. 360*  
*nu. 61. & hæc de primo dubio.*

DVB. SECUNDVM VTRVM SVFFICIAT CLAV-  
Sula secundi testamenti derogatoria institu-  
ta causa pia.

**N**ON dubitatur quod regula generalis constitui solet,  
quod instituta causa pia primum testamentum habens  
specialem clausulam derogatoriæ tolli per secundum ad  
pias causas ordinatum etiamsi in eo non fiet mentio specia-  
lis clausulæ derogatoriæ vt tenent Couar. *in rub. de testament. 2*  
*p. nu. 19. vers. Septimo. alexan. conf. 105. num. 6. vol. 4.* & alii per  
*Mantic. d. lib. 12. tit. 8. nu. 30.* sed hæc resolutio est intelligenda  
cum grano salis vt scilicet procedat si in primo testamento  
fuerit extraneus hæres institutus, & in secundo causa pia tūc  
enim id operatur fauor causæ piæ ex præsumpta voluntate  
testatoris vr explicat Mennoch *de præsump. lib. 4. præsump. 165.*  
*num. 40. & 41.* Guillermus Benedictus *in cap. Raynutius* verbo  
testamentum *nu. 20. March. Anton. Eugen. lib. 2. conf. 92. nu. 18.*  
reddens elegantein differentiæ rationem quia vbi extranei  
sunt instituti in primo adest vnica tantum derogatio volun-  
tatis futuræ, quæ tolli potest vnica alia derogatoria tacite à  
lege subintellecta liberorum fauore, vbi vero in primo sunt  
instituti liberi quia adest duplex derogatio futuræ volunta-

tis vna expressa, alia tacita quia inter liberos testamentū cōditum est vnicā reuocatio in posteriore non sufficit sed requiritur duplex nempe expressa & tacita ut latē docet d. *Eugenius*. plures doctores ad id allegans Cæterum si primū testamentum ita esset ordinatum ut fuerint hæredes scriptæ causæ piæ tunc ad illud reuocandum non sufficit clausula generalis in secundo testamento ad pias causas posita ut optimè ex Mantica Mennoch. & alijs explicat don Frāciscus de Barri *d.lib. 10. tit. 1. nū. 17. vers.* Secunda coniectura.

Quæ omnia hac ratione firmantur testamentum ad pias causas apari procedit cum testamento inter liberos *cap. relat. de testam. iuncta l. Hac consultissima, §. ex imperfecto, C. eod.* & notant supradicti Doctores; at qui testamentum conditum inter filios ut reuocetur opus est clausula derogatoria specia li illius testamenti etiam si in secundo filii quoque sint scripti hæredes ut pluribus probat dictus de Barri qui supra Vincentius de Franch. *decis. 214. nū. 33. & 34. Larrea decis. 57. n. 8.* Cancer *d. cap. 4. nū. 9.* Maximè quando primum testamentum est causis piis vel filiis fauorabilius quod tunc contingit quādo minus est exhaustum legatis ut præ omnibus notat Ododus *conf. 89. nū. 63. & 64.* & ex eo Cancer *qui supra num. 9. dicendum ergo est quod si hæc procedunt in testamento inter filios in quo tacita tantum derogatoria clausula est multo magis debet procedere ubi expreßè derogatoria legitur in futurum ut in simili ponderat Mennoch. *d. præsumpt. 166. num. 39. vers.* Secundo adducuntur, tunc enim fauor filij in priori testamento instituti præponderat cuicunque causæ piæ posteriori ex verosimili mente, & naturali pietate erga filios ut nouiter discurrit Rubeus *practicabilium questionum cap. 21. a. num. 130. ad 135.**

Nos Versamur in his terminis fuit enim in primo testamento institutus nepos naturalis, & eius descendentes legitimati substituta causa pia, qui nepos naturalis quatenus ad ea quæ ex testamento capit maximè non existentibus legitimis

18

numero liberorum venit nec reputatur extraneus ut notant  
Griuellio *decis.* 88. *nu.* 1. & 2. Maximè in Cathalonia in qua fi-  
lii naturales conseruant nobilitatem parentum sunt de il-  
lius domo, intrant curias, & ut unico verbo concludamus fa-  
ciunt deficere conditionem si sine filiis latè Leo *decis.* Valen-  
tin. 80. *lib.* I. *n.* 1. Larrea *decis.* 32. *nu.* 5. Garcia de beneficiis *to.* 2.  
*p. 7. cap. 15. nu. 53.* Botiller *de successionsb. ab intestat. ca. 1. theorem.*  
*7. nu. 30.* Nogarol *allegat.* 28. *nu. 60. cum alijs & declarauit Se-*  
*natus reffrente nobili Ioanne Sabater 30. Augusti 1595. in*  
*facto Margaretæ Garro & de la Brochera contra Michaelem*  
*Sanroman & pariter dedit pro constanti Senatus in illa com-*  
*munitatis de Meya, & Polonia Sancta Creu 8. Februarij 1656.*  
*reffrente don Michaele de Cortiada not. Ferrer licet aliis ex*  
*causis contra neptem naturalem iudicasset. Dicendum ergo*  
*est quod in primo testamento non fuit extraneus institutus*  
*sed descendens & sic quod debet hoc testamentum regulari*  
*ut inter liberos, vel saltem negari non potest piam esse insti-*  
*tutionem ut ipsa testatrix dixit & manu doctoris Tristany*  
*scriptum legimus illis verbis *per amor de Deus y ab intuit de pie-**  
**tat.* Vnde non intrat fauor causæ piæ institutæ in secundo cū*  
*æque fauorabilis causa in primo sit.*

Additur his quod secundum testamentum est minus  
pium quam primum cum plus onustum legatis profanis re-  
periatur, & sic magis diminuantur opera pia, in primo siqui-  
dem testamento solum legat Ioannæ Garriga triginta libras  
& quingentum Mariæ Magdalena Flquer in casu quo Ioa-  
chimus Valls sine filiis descederet, in secundo vero testamen-  
to augetur legatum dictæ Ioannæ Garriga ad quinquaginta  
libras, & legat Ioanni Ros mille libras: Ulterius in hoc vltimo  
piæ dispositiones arbitrio manumissorum relinquuntur in  
primo vero iam designantur à testatrice, & quidem ma-  
gis prouidetur de perpetuitate vnde a primo ad vltimum  
possimus dicere fauorabilius esse primum liberis & causis  
pijs, & nullum fauorem habere causas pias in secundo ins-  
titutas.

Nouissimè consideramus quod in hac materia parificatur causa pia instituta in secundo cum hærede in eo scripto vbi instituitur qui alias successurus erat ab intestato, ut notat Simon de Prætis lib.4. interpret. 3. dub. 2. numer. 108 Franciscus de Barri qui supra vers. Secunda coniectura, circa medianam & intelligit, Cancer d. cap. 4. numer. 18. in fine. Ergo etiam vbi in primo testamento cum clausula derogatoria ad futura instituitur his, qui ab intestato successurus est opus est clausula derogatoria multum speciali in secundo: Atqui Joachimus Valls vt nepos naturalis ab intestato erat legitimus successor dictæ testatrix auiæ paternæ expressè, l. final. Cod. de naturalib. liberis Peregrinus de iure fisci lib. 3. tit. 18. num. 28. vers. Ideo anima paterna, Sard. conf. 177. lib. 3. a numer. 30. cum aliis, quod & extantibus legitimis ampliat Faber in Cod. tit. de naturalibus liberis diffinit. final. Dicendum ergo est nullum fauorem posse considerari causæ piæ in damnum huius partis, quæ ab intestato successuræ erat. Et sic soluitur secundum dubium.

### DVB. TERTIVM VTRVM PRIMVM TESTA-

mentum mereatur nomen testamenti sic vt

possimus dicere esse in concursu

duorum testamen-

torum.

**D**UBITARI non potest primum testamentum verè esse testamentum sic vt secundo non condito locus esset successioni testamentariæ nec via aperiretur successoribus ab intestato. Supponitur siquidem legitimè fuisse hoc testamentum ordinatum a testatrix traditum Paulo Passoles not. Pub. Barcinonæ cum omnibus solemnitatibus quas ius requirit vnde in eo constat de perfecta voluntate testatrix, & si ex post facto aliud non concurreret non posset dubitari de illius validitate.

Eue.

19

Euenit ex post facto quod dicta testatrix instantे Re-  
uerendo Ioanne Rosillud recuperauit, etenim Hyacintus  
Borràs de eius voluntate rupit lina legit integrè, & post lec-  
turam dixit ei *que lay deixas quel volia comunicar per azobari*  
*algunas cosas*, prout deponit dictus Borràs geminatum tum in  
actu extractionis, tum super articulo tertio, & super sexto de-  
ponit instasse recuperationem & fuisse ei responsum per dic-  
tum Rosque iudicauit dita senyora Valls lo auia esquinçat, &  
postea fuit repertum super archa domus testaticis, & præ-  
cedente mandato extractum in publicam formam, nec dubi-  
tari potest de identitate cum de ea satis constet ex deposi-  
tionibus dicti Borràs & Bonaventura Vila. Vnde solum ex  
hoc facto discutimus duo dubia. Primum an per recuperationem  
factam a testatrice & aperturam illius incisione  
linorum alio non facto testamento sustineretur prima vo-  
luntas in prejudicium successorum ab intestato. Secundum  
dubium an saltem facto secundo testamento quale inueni-  
mus sit reuocatum primum.

Ad primum dubium præsupponimus ut certum testa-  
mentum primum factum in fauorem Ioachimi Valls iudi-  
cari inter liberos & habere priuilegia *authen. hoc inter libe-*  
*ros, C. de testament. & l. Hac consultissima, §. ex imperfecto, Cod.*  
*cod. cum in eo institutus fuerit nepos naturalis ab auia qui*  
*eo casu quo ab intestato ei succedebat ut notant Anton. Go-*  
*mex ad l. 3. Thauri num. 54. vers. Tertio extende, Ibi, Tertio ex-  
tende ut procedat etiam in filiis naturalibus in eo quod capere pos-  
sunt à patre, vel matre quia ista iura videntur se fundare in iure  
& priuilegio sanguinis. Sequitur Benedictus in cap. Raynisius ex  
tra. de testamentis num. 83.*

Hoc supposito licet dici soleat quod testamentum ha-  
beatur pro reuocato ex abductione à manu Notarii velex in-  
fissione sigillorum, & linorum, l. 1. § si hæres, ff. si tabul. testamē.  
null. extabunt. Mestrillo decis. 132. lib. 2. Castillo decis. 59. lib. 1.  
Hæc tamen regula non procedit quando testator recuperat  
illud

X illud à Notario ut aliqua addat vel ut aliud faciat tunc enim nisi  
alio legitimè facto primum reuocatum non censetur vt  
late tradunt Mennoch. *conf. 42.lib. 1.Gratiā discep.ca. 588.* *¶*  
*764.per tot.cum alijs*, quos citat Fontanella *decis. 49.n. 11.* Ma-  
ximè quando in primo testamento est clausula reuocatoria in futurum quia tunc non est præsumendum testatorem sub  
uertere & reuocare voluisse per actum recuperationis, & re-  
tentionis eaquæ cum tanta diligencia elaborauit argumen-  
to legis scimus, *C.de testament.* Ex quibus ita arguebat Zazius  
*conf. 2.n. 12.li. 1.* & hanc doctrinam (quidquid clamet Fontan.  
*dec. 51.*) bis confirmauit Senatus reffrente Hieronymo Astor  
*24.Aprilis 1629.* quæ sententia fuit confirmata reffrente Lu-  
douico Basturs *27.Octob. 1631.* Not. Bosch in causa manu-  
missorum vltimæ voluntatis Iacobi Aymerich V.I.D. & suc-  
cessorum ab intestato, & in terminis testamenti recuperati a  
Notario ut aliqua addantur multa scribit ad institutum Pau-  
lus Rubeus *practicar.tot.cap.8.*

Quæ maximè procedunt in Cathaloniæ & Barcinonæ,  
vbi ex priuilegio Petri Tertii in Pragmatica edita *14. Kal.*  
*Nouemb. 1339.* quæ est caput *25.* priuilegij recognouerunt  
proceres *sub tit.de consuetus,* nulla ex his solemnitatibus requiri-  
ritur, sed voluntariè apponebantur maximè in testamento  
non condito manu testatricis, sed notarij, quo circa dicendū  
est quod cum requiratur ad eius perfectionē formalē clausu-  
ra & ligatura lini vt ex priuilegio constat eius destructio nū-  
hil operatur si legi potest testamentum & intacta remaneat  
quæ scripta sunt vt dicit Marta *de successional.p. 4.q. 4.art. 1.nu.*  
*13.Fontanel.decis. 39.n. 14.* *¶* *15.Leo decis. 32.n. 16.* & omniū  
melius Zazius *d.conf. 2.n. 28.* *¶* *29.Mastril.decis. 132.n. 17.* Vn-  
de non est præsumendum quod dicta apertura & incisio lini  
sit facta nisi animo reuidendi propt̄ verē reuidit quo casu re-  
uera perfecta remanet & non reuocata prima voluntas sic vt  
licet aliquid cancellatum reperiretur, vel deletum valeret ta-  
men fauore piaæ causæ, & neptis naturalis in partibus nō de-  
letis,

letis, vt tradunt Bartol. in l. si. unus, C. de testamen. Burgos de  
Paz in l. 3. Thauri num. 127. vbi dicit obtentum in iuditio in  
fauorem cuiusdam monasterij.

Nec aliquid facit quod huiusmodi testamētum fūerit re-  
pertum domi dictae Valls & nō in posse notarij quia quam-  
uis originale testamenti reperiatur penes partem non amit-  
tit fidem publici instrumenti cum nullo iure caueatur quod  
originale seu matrix scripture debeat de necessitate existere  
penes notarium vt fidem habeat ubicumque enim existat o-  
riginale, seu matrix, vel imbreuiatura retinet fidē publici in-  
strumenti, si constet, quod sit originale, matrix, vel imbreuiua-  
tura, ex traditis per Mascard. conclus. 4. & per Cardin. Tusch,  
verbo originale conclus. 201. & de hoc nulla fuit dubitatio in  
illa causa manumissorum Iacobi Aymerich in qua testamen-  
tum recuperatum à notario & inciso lino fuit repertū penes  
testatorem.

Dices (vt accedamus ad secundū dubiū) hēc procedere non  
facto secundo testamento, cæterū factō secundo testamento  
non esse dubitandū de reuocatione primi ex vulgata regula  
§. posteriore institut. quib. mod. testam. infirment. Quia respondetur  
hoc dilēmate aut ob secundū testamentū ita iure perfectum  
est vt tollat primū, iut non, si primū non debemus disputare  
quæstionē de recuperatione primi testamenti aut linorū in-  
cisione, si vero secundū de per se non sufficit nec valebit quia  
prioris fuerunt incisa lina & recuperatione facta. Quod autē  
secundū testamentū nullius sit roboris supra probatū est his  
rationibus. Primo quia necessario in secundo testamento e-  
rat ponēda clausula derogatoria specialis nec pro speciali in  
Cathalonia habetur, quæ de iure specialis dicitur. Secundo  
quia secundū testamentū non solū de iure præsumitur factū  
ad suggestionem interesse habentiū, sed etiā in facto occurre-  
ti fuit probatum. Tertio quia fuit factum mota testatrix ex  
falsa causa mortis scilicet hæredis instituti in primo testamē-  
to. Ex quibus & alijs rationibus defectus voluntatis in vlti-

ma

ma dispositione probatur. Ut autē secundū testamentū dero-  
get priori, legitimè debet esse confessū nec sufficit probare  
voluntatē mutandi testamentū nisi in secundo fuerit omni-  
no perfecta voluntas nec aliter operatur clausula reuocato-  
ria secundi, l. si nemo 19. de testamentar. r. et c. l. Pater filio, ff. de ha-  
redib. instituend. Socin. iunio conf. 145. n. 8. lib. 2. & ita suponitur  
a doctoribus, qui terminanter dicunt quod licet testator re-  
cuperauerit testamentū à notario ut aliqua adderet & inci-  
derat linū nunquam poterit dici reuocatum si non fuerit se-  
cundum perfectè celebratum ut declarauit Senatus in dicta  
causa manumissorum Iacobi Aymerich & late probat Gra-  
tian. cap. 55. 8. nu. 27. & cap. 764. num. 5. Vnde testator non de-  
rogat testamento priori per epistolam voluntatis declarato-  
riā nisi reducatur ad testamentū perfectū ut latè disputat &  
decidit Rotta Romana apud Salgado post labyrinthū credit.  
*decis. 34. per tot.*

Confirmantur ista quia cū in primo testamento sit appo-  
sita clausula derogatoria cuiuscūque alterius testamēti, & sic  
per actū facti nisi ille actus facti contineret integrer verba  
clausulæ derogatoriæ reuocatio prætensa ex alio actu facti di-  
citur imperfecta, & in puris terminis actus præparatoriū cum  
secundū testamentum non faciens mentionē primi nō pos-  
sit dici testamentū validū, sed simulatū ut supra diximus, &  
latè tenet Tusch. *conclus. 152. per tot.* & huius considerationis  
habuit etiā rationē Senatus in prædicta causa, & sic non po-  
test iudicari reuocatū per aliū actum facti in quo non sit de-  
rogatoria, quæ requiritur primi quia ut sæpè diximus illa  
clausula facit nos certos de defectu voluntatis testatricis in  
secundo testamento.

Ex quibus à primo ad ultimum pro primo testamento, &  
Ioachimo Valls hærede in eo scripto declarandum fore spe-  
ramus. Saluo semper, &c.

Vidal & Ros V.I.D.  
Mas & vidal, V.I.D.